Königliches Gymnasium
zu Inowrazlaw.

QUAESTIONUM STATIANARUM PARTICULA IV.

SCRIPSIT

LUDOVICUS POLSTER.

Wissenschaftliche Beilage des Programms Ostern 1890.

Inowrazlaw.
Druck von H. Olawski.

1890. Beilage zu Progr.-Nr. 147.

P. Papinii Statii silvarum libros et rerum sententiarumque et corruptelarum misera condicione nimia caligine obfusos, cum quinque abhinc annos desertos reliquissem, non quo rei asperitate deterritus hasta scutoque abiecto fugerem, sed quia quod otii angustiae tempus reliqui fecerant, id ad alias vocabat occupationes, facta potestate denuo mihi proposui discutiendo persequi, sperans me textus qui dicitur miserum statum plus semel sublevaturum. Nam quae anno 1876 indicibus Teubnerianis summo verborum praeconio indicata Baehrensii editio omnium exspectationes diutius suspensas tenuerat, eadem publici iuris facta virorum doctorum iudiciis adeo non est probata, ut in communem omnium incurreret reprehensionem. Etenim videbantur Baehrensio Statii silvae esse campus, in quo exsultare posset divinandi studium atque ingenium. Quare cum in arte critica exercenda devius plerumque ac praeceps ferretur, proprio nimis indulgens ingenio, quod peccatum difficillime praecavetur, atque non modo sententias integras audacissimis coniecturis contaminaret, contaminatas in textum reciperet, sed etiam in corruptelis tollendis divinando plerumque rueret, quot et quantas in divinando ediderit ruinas, ut quisque ad Statii carmina studium doctrinamque maxime contulerit, ita minime negabit. Quovis profecto quam isto modo a viro docto agi voluissem. Non enim possum quin exclamem, ut ait ille in Trinummo.

Res igitur atque condicio silvarum textus qui dicitur adhuc eodem fere est loci, ubi a. 1728 reliquit Marklandus, investigator ille cum acutissimus tum diligentissimus Statii, cuius ego iudicium Baehrensio, pace huius viri dixerim, longe antepono. Atqui Statii poetae carmina silvarum naturali quodam, non fucato colore ornata digna sunt, quibus iterata editione severioribus artis criticae legibus astricta splendor ille ac species pristina carminum, quam amisimus, restituatur. Nam ut poetarum Latinorum tanta sit multitudo tantaque in suo cuiusque genere laus, ut cum summa admiremur inferiora tamen probemus, tamen ne Statii quidem poesin ulla unquam obruet vetustas aut delebit oblivio, dum literae loquentur Latinae. Quamquam nimiae non est admirationi una arbor, ubi in eandem altitudinem tota silva surrexit. Ac certe quidem cum ad pellendos animos multum valeret, praeter Martialem, qui eiusdem temporis erat, haud scio an elegantia parem habuerit neminem. Quin etiam etsi utrique primas, priores tamen deferebat aequalium consensus Statio, cum suavitate animos perfunderet maiore verbisque ornatis volveret elegantes sententias, quamquam puro fonti propior quam flumini magno. Sed ut iam quod egimus ostiatim mittamus et veniamus ad id quod iam nos dudum ad se vocat, in animo est, quae artis criticae Statianae partes adhuc a viris doctis sunt relictae, eas explere nullis adminiculis sed, ut aiunt, Marte nostro, ne acta agere videamur, quod vetamur vetere proverbio. Cuius disputationis viam ac rationem ita instituemus, ut si quorum versuum corruptam rationem nondum quisqam unquam dispexerit,

eos primum disputando persequamur, deinde corruptelas cognitas illas quidem a viris doctis, at eas tamen nondum cum radicum fibris sublatas, ut de quibus sub iudice lis sit, quantum in nobis erit, divinando sublevemus. Atque ut iam institutam rationem persequamur penitusque in intimam disputationem perveniamus, inde a l. V vela dato disputatio. Leguntur ibi eclogae I, quae ecloga mihi prae ceteris videtur esse corrupta, versus 222 et sqq. vulgo sic:

'Est locus ante urbem, qua primum nascitur ingens
Appia quaque Italo gemitus Almone Cybebe
Ponit et Idaeos iam non reminiscitur amnis:
Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius coniunx, — nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre — beato
Composuit, Priscilla, toro*. Nil longior aetas
Carpere, nil aevi poterunt vitiare labores
Siccatam membris: tantas venerabile marmor
Spirat opes. Mox in varias mutata nouaris
Effigies: hoc aere Ceres, hoc lucida Cnosis,
Illo Maia tholo*, Venus hoc non improba saxo.'

Prosequitur Statius hoc epicedio ad honorem Antistiae Priscillae, defunctae uxoris Abascanti, composito, quo erat nemo temporibus illis auctoritate gravior, summis laudibus T. Flavium Abascantum, T. Flavii Aug. libertum, penes quem id temporis cura erat ab epistulis, cuius muneris ratio semper omnibus maximi videbatur. Quod quare fecerit, ipse indicat Statius in ep. ad Abascantum missa. 'Nam, inquit, qui bona fide deos (sc. imperatorem) colit, amat et sacerdotes.' Jam occasione facta describit speciem ac pompam, qua uxorio funeri iusta solverat Abascantus post vitae discessum Priscillae, quae cum generis nobilitate floreret, tum sese splendore et animi et vitae praeter ceteras sicut speculum praebebat civitati. Umbram matronae vere Romanae et imaginem videmus. Abascantus quidem, ne coniugis amatae memoriam perderet, corpus instituto more comburi vetuit odoribusque differtum condivit, conditum in sepulcro templi instar composuit, quantum omnium maximam movit admirationem, ut cum templo Flavio, quod compararetur, dignum esset (v. 244 sqq.) 'Domus ista, domus! Quis triste sepulcrum Dixerit?' exclamat poeta admiratione percussus, utpote in quo non solum variae varii generis statuae ad effigiem Priscillae expressae collocatae fuerint, verum etiam omnis illa turba funeris ad epulum ferale discumbere potuerit. Qui si sensus statuitur — alius autem statui non potest —, lectio 'toro', quae lectio in v. 228 reperitur, stare nequit, quod secum ipsa pugnat, id quod adhuc fugit interpretes. Neque enim hoc loco iam agitur de agmine ferali atque pompa funeris, quam descripsit poeta inde a v. 208—221, agitur de sepultura ipsa. Quam ob rem quod vocabulum 'torus' in v. 215, quoniam de agmine funeris ibi verba facit poeta, proprium locum obtinet, idem hoc loco omnino segregandum, cum unius sepulcri notionem efflagitet sensus ac nisi de sepulcro sermo non sit. Etenim in hoc summa sententiae consistit: Hic ante urbem, inquit poeta, in via Appia ad ripam Almonis propter Cybebes templum beato sepulcro, non lecto ferali, quod significaret tori vox, te composuit Abascantus, qui flammas et rogum reformidaret.

Quae cum ita sint, fieri non potest quin Statius pro 'toro' scripserit 'tholo' i. e. templo. Tholi notionem idem valere quod templum ex exemplis elucet his: Silv. 3, 1, 3. 'Quod coleris maiore tholo', 1, 4, 33. 'Et dives praedae tamen accipit omni Exuvias Diana tholo'. 1, 4, 99 'tholo quodcumque tibi Troiana recondit Pergamus'. Nobilium Romanorum, qui profusis sumptibus vixerant, sepulcra templorum speciem praebuisse, quibus defunctorum laus non ad exigui praedicationem temporis sed fixa ad memoriam illorum sempiternam sacraretur, ut ex literarum apparet testimoniis ita ex ipsis monumentorum relliquiis, quae quidem ex parte vetustatem tulerunt, licet colligi. Provoco ad sepulcrum Caeciliae Metellae in via Appia situm, ad Messalini Cottae aliaque, quae vel duobus tabulatis erant suspensa, de quibus, si placet, cf Caninam: Via Appia et Revue archéol. 1862, tom. VI. In quibus vel maximi momenti est id ipsum, de quo disputamus, Priscillae sepulcrum, quod aetatem tulit. Quid porro argumenter, qua de re dubitare non possis? pleni sunt antiquitatis libri, plena testimoniorum vetustas, plenae monumentorum, quae supersunt, relliquiae. Qua in re hoc maxime mirum, quod Abascantus maxime spectavit, ut Priscillae corpus ad immortalitatis memoriam conservaretur, si id re vera evenit, quod quidam auctores sunt. Quem enim locum sepulcri Antistiae Priscillae Statius accuratissime describit, exstructum fuisse initio viae Appiae ad Almonem fontem, cui fonti nunc Aquatuccia nomen est, eodem, id quod Morellus in notis ad hunc Statii locum narrat, in praestantissimo monumento Priscilla eadem condita et siccata membris integris inventa esse dicitur a. 1471 Sixto IV Pont. Rom. Cf. etiam Friedl. H. m. R. I p. 82 et quae Canina topogr. d. v. Appia A. d. J. XXV p. 148 de Abascanti sepulcro memorat: nell' osteria dell' Aquatuccia si trova esistere una grande reliquia di sepulcro, che già è conosciuta per le pubblicazioni del Piranesi e del Labruzzi eche per le varie iscrizioni rinvenute nelle sue adjacenze nel 1473 come costà delle notizie riferite dall' Amaduzzi nel Tomo I degli Aneddoti Letterarii, si conviene di riconoscervi quel sontuoso sepolcro, che fu eretto da Abascanto etc.

Non videtur praetermittendum esse ne id quidem insolitam condiendi rationem admirationem quandam movere. Admirationem dico? Nescio an melius suspicionem possim dicere. Quoniam enim Poppaea eadem sepultura affecta est, ob id ipsum quod constat et fautricem Judaeorum et studiosam religionis Judaeae fuisse, quae tum temporis iam longe lateque per imperii Romani fines fluxerat, cf. Joseph. A. J. XX, 8, 11, 11, 1, haud longe a vero aberrasse nobis videbimur conicientes Priscillam quoque ab una aliqua externa religione atque haud sciam anne christiana, cuius Domitiani aetate iam fontes largius Romam manaverant, (cf. Imhof Domitianus p. 160), si non stetisse at certe non alienam fuisse. Etenim si quam ex sepultura coniecturam capere licet, cur Abascantus pop. Rom. ritibus consecratum institutum non secutus sit, causam reperire queas nullam. Nam quae a Statio rarae illius sepulturae profertur causa, qua ductus sit Abascantus, quod rogi flammas clamoremque hominum videlicet perferre non potuerit, non modo non probabitur cuiquam verum etiam coniecturam suspicionis movebit. Hoc quidem certum, nihil antiquius habuisse Priscillam, quam ut externo ritu, non sicut mos maiorum ferebat, exsequias quaereret. Qua ex re fieri non potest quin, variae trahantur suspiciones. Quamquam toto pectore id credere, vide ne non sit necesse. Quae ego disserui, non quo res aperta esset, cum tantis obfusis tenebris praeter sepulturae mirum genus ne scintilla quidem ad dispiciendum nobis relicta sit, sed ut quaestionem delec-

tationis plenam moverem atque commonstrarem viam et, ut fieri solet, digitum ad fontem intenderem. Ceterum Abascantus paucis annis post in matrimonium duxit Aug. lib. Hesperidem et munere functus est a cognitionibus. Cuius sepulcro inscriptum erat: Dis manibus T. Flavii Aug. lib. Abascanti ex cognitionibus Flavia Hesperis coniugi suo. Cf. Friedl. l. l. I p. 148. Jam redeamus ad eum locum, de quo agere supra instituimus. Condivit te, Priscilla, sic pergit poeta, pietate motus coniux, nihil de pulcritudine minuere, nihil vitiare poterunt 'aevi labores'. In quibus hoc primum est, in quo mirer, cur poeta dixerit 'aevi labores'. Exspectaveris 'aevi tenores', tum quod sententiae condicione commendatur tum quia Statius fere sibi constat hac verborum coniunctione usus sollemni. Cf. 3, 3, 147 'Atque aevi sine nube tenor'. 5, 2, 63 'et adhuc tenor integer aevi' etc. Neque vero id ad vivum reseco atque haud sciam anne poeta ipse, qui hexametros funderet ex tempore (cf. ep. ad Stellam), neglegentiae nomine sit vituperandus. Jam quae sequuntur verba videamus, ecquid dubii ostendant: 'Tantas venerabile marmor Spirat opes' i. e: Tanta enim varii generis variorum odorum copia affluit sepulcrum marmoreum. In quibus verbis scopulum offendis fere eiusmodi, cum ad rem certe nihil intersit affluere sepulcrum odoribus. De hac re susque deque parvique refert sepulcrum redolere odores, Priscillam refert. Cuicuimodi autem est, aut codd. lectio aut ipse poeta incusandus. Quamquam extemporalis illa pangendi consuetudo Statiana, quae verba dat in labris nascentia, excusationem quandam sibi conciliat. Idem sepulturae genus contigit Poppaeae, Neronis imperatoris uxori, de qua Tacitus in annal. XVI, 6 haec tradit: 'Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur tumuloque Juliorum infertur.' Quam ob rem facile adducimur, ut credamus, ipsam illam vocem 'corpus' etiam hic requiri, id quod etiam addito 'venerabile' adiectivo quodammodo indicatur. Cf. 1, 1, 70 'venerabile caput.' Qua erat Abascantus pietate erga uxorem iniqua morte sibi ereptam, ut ne memoria illius moreretur, statuas ad similitudinem ipsius rasas in sepulcro poni iussit, quae dearum speciem imitarentur. Age, sis, nunc de v. 233 videamus. Lectionem 'tholo' in v. 233 corruptam esse, cum sensu sit destituta, quamquam per se patet, tamen nondum quisquam exstitit, qui emendaret omnesque ex animo scrupulos evelleret. Quotus enim quisque invenitur, qui Marklandi conatum pro 'tholo' 'auro' conicientis integram poetae vocem cum probabilitate quadam restitutam esse sibi persuadeat, praeterquam quod tantum abest metalli significatio ut necessaria sit ut ne desideretur quidem.

Omnino alia emendandi erit ingredienda via, qua ad exitus pervehamur optatos. Quoniam plures colebantur Veneres, ut ambiguitatis notam effugeret Statius, addidit 'non improba' i. e. honesta sive Venus Genetrix, quali, ut unum exemplum commemorem, Veneris Genetricis simulacro exculta erat Sabina, Hadriani illa imp. uxor, quod servatum adhuc cernere licet in aed. Vatic. museo Pio-Clementino cf. Duruy H. i R. II p. 457 ed. Hertzberg. Quod de Venere idem valet de Maia. Nam distinguendum est inter Maiam Latinorum, quam eandem nomine Bonae Deae praecise nominabant, notissimam illam ex scelere Clodiano, cuius dies festus celebrabatur Cal. Maiis et inter Maiam Graecorum, Atlantis illam filiam, matrem Mercurii. Ut brevis sim satietatemque effugiam, poetae praecise erat significanda ut Veneris ita Maiae proprietas, ne qua subesset ambiguitas. Maiae Latinae sive Bonae Deae effigiem admitti vix posse, ex iis elucet, quae Prellerus in myth. Rom. p. 352 de

Maiae numine disputat. Desideratur Maiae Atlantidis, Pliadis significatio, quam nactus eris, si restitueris pro 'illo Maia tholo' 'illo Maia polo', illo sc. aere Maia in caelo i. e. Plias. Praepositionem 'in' saepe deesse, si qui in poetarum libris studiose et multum erit volutatus, exploratum habebit. Atque ut omnia, quae sunt in causa, expleamus, cum multa possimus, pauca in medium vocare satis erit exempla. Cf. 2, 3, 74 'pater elysio.' 1, 2, 212 'ire polo.' 2, 1, 42 'radiataque lumina caelo'. 3, 3, 48 'terrisque poloque' et alia, neque enim sum copiam, quam potui, exsecutus. Pergamus ad reliqua.

V 3, 61 sqq:

'Atque ibi me moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et toruo* pietas aequare Maroni'.

Laudat hoc epicedio poeta patris defuncti, cuius ab parvis fontibus profluxerat laus ad hominum famam, et morum integritatem et ingenium. Qui idem et poeta (cf. 'natis te monstravere parentes') magnam sibi collegit laudem et ludi magister, etenim ludum literarum spe amplificandae fortunae Neapoli habebat cunctamque fere iuventutem floremque Italiae iis artibus, quibus aetas puerilis informari solet, imbuebat. 'Vilis honos studiis', lamentatur poeta. Neque enim aut ipsum aut patrem unquam complexa est fortuna, qui ad vitae extremum tempus in tenui condicione vivendi versarentur. Patrem si mihi ab inferis excitare liceret, inquit poeta, non est dubium quin et Homerum et Vergilium canendo aequarem. Attributum 'torvo' Maroni non convenire, cum per se pateat, removeantur codd. auctoritates. Sensus efflagitat epitheton 'nostro', quod contrarium sit Homero Graeco, ut noster Vergilius opponatur Homero externo. Tales oppositiones sunt frequentissimae, quod quidem nemo in poetarum libris mediocriter versatus mirabitur. Marklandus coniecit 'docto'. In eadem ecloga v. 166 sine dubio corruptela implicatus, verba dico 'vel quos e vertice Surrentino Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi'. Quaeso, quid haec verba significant? Ego quidem sententiam non assequor. Ex omnibus partibus Italiae, inquit poeta, ex urbibus, municipiis, coloniis confluebat iuventus Romana tamquam ad antra Sibyllae sic ad ludum patris. Quid vero faciendum verbis 'speculatrix virgo profundi'? Neque enim aut ad Neapolim aut ad Parthenopen insulam, de qua Ptolem. III 1,79 disputat, sensus quidem habita ratione, spectare possunt. Equidem quod ad me attinet exploratum habeo Statium scripsisse 'speculatrix villa' et significari his verbis Pollii Felicis, quocum Statio omnes erant amicitiae necessitudines, villam Surrentinam, quam eandem eisdem fere verbis in silv. 2, 2, 3 depingit, ubi dicit: 'Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi.' *Σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἓν οὕτως ὅμοιον γέγονεν.* Nihil est enim unum uni tam simile quam uterque hic versus inter se. Pollius Felix eques cumulatissimis divitiis Puteolis erat oriundus, a Neapolitanis civis allectus atque haud scio an patronus, cum praeter ceteros floreret eloquentia. Cf. 2, 2, 96. 97. 134 sqq. ep. II. III. Quod si quaeris corruptela unde irrepserit, corruptelae fons et origo minime latet. Cf. enim 3, 2, 86 'Num torta Charybdis Fluctuet aut Siculi populatrix virgo profundi' de Scylla. Qui versus memoriae librarii nescio cuius fixus cum haereret, fieri potuit ut vox 'virgo' huic loco vitiose inculcaretur.

In l. II ecl. 2 memorabile quoddam reperitur mendum, quod nescio quo pacto factum

est, ut nondum investigaretur. Quo carmine Statius Pollii Felicis, quocum familiaritatem contraxerat intimam, villam Surrentinam describit. Qui cum ruri assiduus semper fere viveret remotus ab oculis populi in omnium vacatione munerum vitam omnino degit umbratilem, honores non captans publicos. Inde a v. 17 leguntur haec:

'Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea, et e terris* occurrit dulcis amaro
Lympha mari. levis hic Phorci chorus udaque crines
Cymodoce viridisque cupit Galathea lauari'.

Loquitur poeta de balneorum praestantia usque ad v. 20. Cum duae balneorum testudines commemorentur, non est cur dubitaveris alterum aquae marinae alterum dulci inservivisse. Jam vero cum usque ad v. 20 nisi de balneis sermo non sit, pro 'e terris' 'e thermis' legendum, id quod versibus comprobatur sequentibus: 'Levis hic Phorci chorus udaque crines .... cupit Galathea lavari'. Libenter in eadem sententia Statius versatur. Cf. 1, 5, 54 de balneo Claudii Etrusci: 'Hoc mallet nasci Cytherea profundo' i. e. balneo. Nec minus saepe Statius describit amaro mari aquam dulcem necopinato misceri. Cf. quae de Alpheo et Arethusa, fonte illo Syracusano, idem dicit poeta 1, 2, 208. 'Miratur dulcia Nais Oscula nec credit pelago venisse maritum'. Similiter fingit hoc loco poeta, unde non speraret, mari amaro e thermis emissam aquam dulcem obvenisse. Cf. 1, 3, 42 de villa Tiburtina Manilii Vopisci 'An quae graminea suscepta crepidine fumant Balnea et impositum ripis algentibus ignem? Quasque vaporiferis iunctus fornacibus amnis Ridet anhelantes vicino flumine nymphas'?

Ad eiusdem Pollii Felicis honorem l. III ecl. 1 est scripta. Qui cum in re lauta esset neque ita claudebat rem familiarem, ut eam benignitas aperire non posset, nec ita reserabat, ut pateret omnibus largitioque fundum non haberet. Is Herculi Custodi Surrentino profusis sumptibus templum aedificaverat, quoniam vetustas et tenuitas pristini sacelli Herculei, quod vix nautas fluctivagos piscatoresque capere posset, tanto numine iam indigna videbatur. Quam sententiam poeta ita persequitur, ut nobis, cur aedes nova Herculis exstructa sit, patefaciat. Is inde a v. 60 rem pertractat sic: Quamvis Albanum meum mihi sufficeret ac domi meae aquaeductus, quem benignitati Domitiani imp. debeo, aestum frangeret, tamen a Pollio meo hospitio invitatus non invitus in villam Surrentinam me contuli. Ibi in studiis ingenuarum artium literarumque occupati animos relaxavimus otioque dulci indulsimus. Atque idibus Aug. cum dies festus Dianae Aricinae celebraretur aestusque nimis urgeret, ut solis calorem defenderemus, in litoris umbra spatiisque silvestribus epulatum discubuimus. Jam omnia erant parata, cum subito tempestas vehementissima ingruit. Cum alio longum esset, in sacellum Herculis confugimus cum famulis turbaque gratissima Pollii Pollaeque liberorum. Tum Hercules, laris custos, ad aures Pollii accessit atque in hunc fere modum insusurravit: Tune Puteolitanorum idemque Neapolitanorum benignus largitor opum? (Cf. 2, 2, 96. 97. 134 sqq.) Tune omnibus summis infimis iucundus atque largus, mihi uni parcus? Da templum dignasque opibus tuis aras.

114. 'Incipe et Herculeis fidens hortatibus aude.
Non Amphioniae steterint velocius arces
Pergameusve labor'. Dixit montemque reliquit'.

At codd. lectio 'montemque reliquit' nullo pacto ferri potest, cum Hercules non reliquerit montem, Pollium reliquerit. Quam rerum repugnantiam nondum quisquam vidit neque agnovit. Legendum, id quod per se patet: 'Dixit *monitumque* reliquit' i. e. Pollium. Quae cum deus Pollium monuisset, discessit. Ne multus sim in re aperta, verbum monendi proprium est in eiusmodi rebus. Cf. 3, 3, 204 'monituraque somnia poscam'. Facit igitur poeta Herculem monentem, ut ne minimam quidem Pollius interponat moram, quin ipsi templum aedificet magnificum.

Aetate iam ingravescente qui plurimum temporis Romae consumpserat Statius, solum civitatis mutatione vertere constituit Neapolimque secedere ibique, ubi natus erat, diem obire supremum. Exstat ecloga, qua Claudiae uxori persuadere studet, ut Roma relicta in patriam coniugis urbem demigret. Quam in matrimonium duxerat Claudiam Statius, ea nupta fuerat poetae cuidam, ex quo matrimonio supererat privigna id temporis iam nubilis. (Cf. v. 61 sqq.) Quo facilius animum uxoris flecteret, ut voluntati suae morem gereret, enumeravit omnia vitae oblectamenta, quibus Neapolis afflueret itemque vicinae regionis amoenitatem. Versus (V 3, 101 sqq.) sunt hi:

'Trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagae tollit Pharus aemula lunae
102. Caraque* non molli iuga Surrentina Lyaeo,
Quae meus ante alios habitator Pollius auget'.

V. 102 Lyaeum per metonymiam esse accipiendum pro vino additis verbis 'non molli' satis indicatur. Etenim non mollis Lyaeus idem valet quod 'non molle vinum'. Qua re aperta patebit 'iuga' non dici posse 'cara non molli Lyaeo' sed 'clara'. Legendum igitur, ni fallor, '*Claraque* non molli iuga Surrentina Lyaeo'.

In l. IV 4, 78 leguntur haec:

'Haec ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Litoribus, fractas ubi Vesvius erigit iras,
Aemula Trinacriis volvens incendia flammis.
Mira fides! credetne virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum iam haec deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi proavitaque toto
Rura abiisse mari? Procul ista tuis sint fata, Teate,
Nec Marrucinos agat haec insania montes'.*

Claudit epistolam ad Marcellum datam Statius addens se scripsisse in Campania, ubi Vesuvius mons, qui Pompeios, Herculanum, Stabias cineribus obruisset, adhuc fumo flammisque urbibus interitum minaretur, qui ne ad Marcelli praedia pertineat, omnibus precibus votisque imprecatur. Quam ob rem pro 'montes' legendum 'montis' scil. Vesuvii. Nam sententiarum connexu efficitur non ut montes Marrucini ignivomi fiant, id quod risum movere queat, cum qui scripsisset omnem humanitatem exuisset, sed ut ne Vesuvii incendia Marrucinos ita exturbent, ut exturbarunt Pompeianos eosque qui incolebant Herculanum et Stabias. Nondum enim 'letale minari cessat apex' addit poeta. Cf. etiam 2, 6, 62 'Fortior, Urse, fores si vel fumante ruina Raptassent dites Vesuvina incendia Locros', ubi eadem redit sententia.

3, 5, 72 'Non adeo Vesuvinus apex et flammea diri Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes'. 5, 3, 205 'Jamque et flere pio Vesuvina incendia cantu Mens erat et gemitum patriis impendere damnis, Cum pater exemptum terris ad sidera montem Sustulit et late miseras deiecit in urbes'.

I 4, 83 sqq.

'Libyci quid mira tributi
Obsequia et missum media* de pace triumphum
Laudem et opes tantas? nec qui mandaverat ausus
Exspectare fuit!'

In Africa primo saeculo p. Chr. crebri tumultus fiebant. Cf. Tac. hist. 4, 50: 'Discordiae, quae . . . . iam per arma et acies exercebantur'. Nota est Valerii Festi, cum discordiae inter Oeenses et Leptitanos ortae essent, de Gauromantibus, qui auxilio venerant Oeensibus, reportata victoria. Rutilium Gallicum, hominem illum quidem novum, qui gentem obscuram e tenebris in lucem evocaverat sua virtute nobili atque illustri (v. 68 'genus ipse suis'), aut paulo ante Valerium Festum aut paulo post legatum propr. prov. Africae vel leg. leg. III Aug. fuisse ex inscriptionibus constat Latinis. Quibus seditionibus compositis praedam ex expeditione collectam et tributum Romam videtur Rutilius advexisse. Jam vero quid gentium significant verba 'missum m e d i a de pace triumphum? Quae quidem verba occulte Statius dicit tanquam Heraclitus. 'Missum triumphum' nisi acceperis de praeda ut ita dicam pompae triumphalis modo missa, sensum non praebebunt. Neque enim de triumphi honoribus aut de ornamentis triumphalibus hic cogitari potest. Restant 'm e d i a de pace' verba. Quaeso, quid haec verba valent? Mihi quidem tenebrae sunt. Davus sum non Oedipus. Tota enim res vacillat et claudicat, neque quid significet 'media pax' lectio extrices. Considerantibus nobis 'missum media' verborum literas sensusque condicionem sub 'media' corruptela ascitis ex 'missum' lectionis literis duabus extremis latere 'Numida' videbatur. Ac nisi de Numidico tumultu hic non sermo. 'Numida' vocem etiam adiectivi vicibus fungi exempla docent. Statium hoc loco nimis laudes efferre Rutilii atque res ab eo gestas verbis in maius auxisse, quasi patriae iam praecipitanti subvenisset, in promptu, nam historia ea de re muta est.

V 1, 158 de Priscilla iam iam moriente poeta verba facit haec:

'Nil famuli coetus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis'.

Quaero nonne coetus vox a sensu aliena sit. Vix est quod ambigas de voce 'coetus' a Statio non profecta. Praeter enim quam quod in famulos non conveniat substantivum 'coetus', 'greges' vel 'turba' secundum dicendi consuetudinem conveniat, ne agitur quidem hoc loco de conciliis, quae nihil valerent ad sanitatem Priscillae redintegrandam. In memoriam nobis revocantibus lectiones 'coetus' et 'questus' sescenties fere reperiri confusas, vix dubium quin 'nil famuli q u e s t u s' legendum sit. Aliquid inter has voces interest. Precibus enim et questibus numina flectebantur non coetibus. Res loquitur ipsa, id quod semper valet plurimum. Cf. Theb. 7, 460 'Hoc precibus questuque deos'. 10, 66 'Lacrimis questuque rogabant'. Val. Fl. 2, 167 'Tum voce deos tum questibus implent'. silv. 1, 4, 815. Similiter eaedem

voces confusae sunt 5, 2, 160, ubi pro 'questus' 'coetus' legi oportere recte agnovit Gevartius et 1, 2, 235. 1, 4, 115, quibus locis eaedem voces propter discrepantiam ita non magnam, ut fere minima sit, sine dubio confusae sunt. Omissis igitur codd. auctoritatibus ea vox praeferenda, quae sensu commendatur. Quod nisi fieri liceret, intra initia ars critica staret atque ratibus adhuc navigaretur. Verum haec quidem hactenus. Sequitur ut quae corruptelae a viris doctis agnitae illae quidem nec tamen sublatae sunt, eis tollendis emendandisque studium nostrum operamque navemus. Quam disputationem ita absolvemus, ut tanquam viam sic librorum eclogarumque sequamur ordinem ac primum quidque discutiamus. Atque ut iam initia quaestionis incohemus, a l. I ecl. 1. ordiatur disputatio, quae versatur in laudibus Domitiani imperatoris. Inde a v. 25 legitur secundum codd. memoriam sic:

25. 'Discitur e vultu, quantum tu mitior armis,
Qui nec in externos facilis saevire furores
Das Cattis Dacisque fidem. te signa ferente
Et minor in leges iret gener et Cato castris*.'

Corruptela 'castris', quae in v. 28 reperitur, crux quae dicitur fuit interpretum. Alii alia coniecerunt veluti Baehrensius 'pacis', Marklandus 'iustas', 'castus' Bursianus, Otto Muellerus 'Cattis', quasi vero hoc dicere voluerit poeta Pompeium Cattis minorem fuisse. Corruptelae medelam, nisi sensus rationem acu tetigeris, haud attuleris. Comparantur inter sese Julius Caesar et Domitianus. Quantum tu, Domitiane, mitior Caesare sis, e vultus cognoscitur clementia, quam vel in hostes externos Cattos et Dacos praestitisti. Si tu, qui et belli externi et civilis incendia restinxeris, Caesaris loco signa tulisses, libenter Pompeius ille Magnus te minor et Cato imperium tuum subiissent. Ut brevis sim pro 'castris' 'dextris' legendum scil. supplicibus. Etiamsi omnes suspicionum latebras divinando peragraveris, non inveneris, quod propius accedat et ad sensum et ad codd. vestigia.

Te signa ferente, inquit poeta, libenter Pompeius et Cato victi manus dedissent. Dextram porrigere proprium fuisse eorum, qui supplices clementiam victorum implorarent, ingens monumentorum docet multitudo. Provoco ad monumenta, quae supersunt, ad columnam Antonini, ad Traiani, ubi Decebalus ad genua Traiani imperatoris provolutus dextram porrigit, aliaque eiusdem columnae parte Dacorum principes dextris protentis se significant subire imperium. Cf. Froehner col. Traiani pl. 51, 100 etc. Provoco ad arcum triumphalem M. Aurelii, qui in via Flaminia erat exstructus, ubi imperator equo haerens Parthos in fidem recipit, dextras protendentes. Sententia igitur haec est: Si tu, Domitiane, signa tulisses, Pompeius Magnus te minor Catoque dextris imperium tuum subiissent. Quae nobis emendatio videtur non modo difficultates tollere omnes verum etiam lumine illustrare sententiam, cum omnium idque Romanorum animis statim obversarentur tabulae pictae et monumentorum exempla. Quam ob rem aliorum exemplorum multitudine supersederi posse mihi videtur; dies enim me deficiat, si, quae dici in eam sententiam possint, coner expromere.

I 3 describitur Manilii Vopisci, viri eruditi, quem circumfluxisse omnibus copiis et in omnium rerum abundantia vixisse ex hoc carmine elucet, villa Tiburtina tabulatis sublata et suspensa. Quae villa eum in modum erat aedificata, ut Aniene flumine inserto utramque fluminis ripam occuparet villaeque quodammodo essent duae. V. 24 codd. exhibent haec:

'Litus utrumque domi*, nec te mitissimus amnis
Dividit; alternas servant praetoria ripas
Non externa sibi fluviumve obstare queruntur'.

Locus ad intellegendum esset subdifficilis, nisi qui sequuntur versus lucem quandam affunderent. Inde elucet poetae dicendum fuisse sic: Quamquam ripa utraque distat, te tamen, villa, fluvius non dividit, quae ponte sis iuncta. Quam ob rem poetae scribendum fuit:

'Litus utrumque Anien, nec te mitissimus amnis
Dividit.'

Quamquam litus utrumque, te non dividit Anien. 'Anien' vox saepe in codd. corrupta legitur; cf. v. 20, ubi codd. exhibent 'autem'. Ex 'Anien' voce hoc, de quo agimus loco, videtur ortum esse 'omin', namque 'D'litera propter similitudinem praecedentis 'Q' per *διττογραφίαν* haud sico an irrepserit. Quod Baehrensius tentavit 'litus utrumque domus tenet et mitissimus amnis Dividit', docet quam non perspexerit sententiae summam vim; quod idem cadit in Lipsium, qui 'litus utrimque domus nec se . . .' suspicatus est, quem ego non possum tantum hominem sententiam non intellexisse dicere. Qui sensus ab interpretibus haud raro parum dispectus nonnunquam causa fuit, cur loco integro vis afferretur, id quod evenit in eiusdem eclogae v. 32 'sic Chalcida fluctus expellunt f l u v i i', ubi Chalcidis notio prorsus quod dubitari possit non habet. Quae ab interpretibus non intellecta inutilem copiam coniecturarum, quae 'fluvii' vocem omni ex parte genuinam summoverent, invexit. Qui mihi interpretes sulcos, ut aiunt, in pulvere duxisse videntur omnes. Cum enim Chalcidis voce omnes adhuc interpretes Euboicam intellegi putarent, lectio 'fluvii', quo significaretur Euripus, et 'expellunt' stare non potuit. Quodsi Chalcidem intellexeris eam, quae una erat ex Echinadibus in ostio Acheloi fluvii sita, omnes difficultates sublatae. Etenim fluvius significat Acheloum, qui parvo spatii intervallo Chalcida a continenti distantem fluctibus in mare quodammodo expellere videbatur. Quam ob rem sanae omnino parti scalpellum adhibuerunt atque integrae, qui aut 'flavi' (Baehrens.) aut 'refugi' (Cruceus) aut alia conici voluerunt. Accedit quod Statius poetarum Alexandrinorum more multus versatur et in rebus et fabulis remotis. Eadem sensus parum perspecti ratio causa fuit, cur inutilibus coniecturis premeretur II 2, v. 110. Versus sunt hi:

'Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis nec nobile mutes
Seruitium, nec te cultu Tirynthia vincat
A u l a Dicarcheique sinus'.

Cum et Baehrensius et Nohlius dubitatione aestuarent, quidnam gentium sibi vellet Tirynthia aula, alterum 'ora', alterum 'arva' proponere non est veritum. Videamus nunc, id quod caput est, quid Tirynthia aula significet. His verbis significantur sine dubio Bauli vel Boaulia, quae urbs erat ad sinum Baianum in Campania, ubi tanquam ocellos sic nitidissimas villas in ora maritima cerneres, in quibus quae memoretur digna est villa Hortensii oratoris. cf. Acad. IV. 3. Ipsum nomen Bauli duxerunt a *βοῦς* et *αὐλή* verborum derivatione, quoniam Hercules ibi boves Geryonis in aula vel stabulo condidisse ferebatur. Pro-

pterea Herculei vel Tirynthii vocabantur aeque ac Pompeii, quae vox originem duxit a pompa Herculis. Cf. Serv. Aen. 7, 662. Diod. Sic. 4, 21. Quod igitur poeta iecit obscure, minime mutandum, neque rebus per se claris tenebrae obducendae. Immuta paululum, perierit sententia ornata. Sed redeamus ad I 3. Jam supra commemoravi datum esse hoc carmen ad Manilium Vopiscum, virum eruditissimum. Qui quamquam forensi luce caruit, tamen intra parietes eam gloriam aluit, quae literarum studiis paratur. Hiemis tempore itinerihus tempus solebat conterere otiosum. V. 83 sqq. leguntur haec:

'Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera Lucrinaeque domus litusque cruenti
Antiphatae; cedant vitreae iuga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis arcesque superbae
Anxuris et sedes, Phrygio quas mitis alumno
Debet anus; cedant, quae te iam solibus artis
Antia nimbosa revocabunt litora bruma'.

Cedant, inquit poeta, villae tuae Tiburtinae Tusculum et Ardea et villae ad lacum Lucrinum et Formiae, cedant Circeii et Anxur et Caieta atque Antium etiam, quo, quoniam hiems appetit, mox secedes. 'Antia' in v. 89 coniecturae debetur Marklandi, quam omnes ad unum adhuc interpretes in textum qui vocatur receperunt. *Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν.* Mihi enim longe secus videtur. Codd. exhibent 'auia'. At quamvis Marklandi coniectura primo obtutu probabilitate quadam captiosa animum percutiat, re accuratius perpensa ita repudianda est, ut si codd. memoria scripta traderetur, reicienda esset. Etenim perfacilem habet rationem reprehendendi. Quid? quod Antium vix quisquam se conferebat Romanus hieme? Quae cum essent aquae marinae, illud Marklando assentiri non possum hieme celebratas esse, quae potius aestate frequentarentur propter ipsum algorem. 'Antio nihil alsius' literis mandat Cicero ad Atticum datis 4, 8, 1. Quibus praemissis, Marklandi coniecturam huius loci rationi non respondere manifestum. Atqui poetae verbis: 'Quae te iam solibus artis nimbosa revocabunt litora bruma' satis superque indicatur adiectivum requiri, quo significetur terra vel hieme temperata. Marklandi igitur coniectura me quidem iudice velis remisque, ut ita dicam, fugienda. Equidem haud scio an Tarentum respiciat Statius, qua in urbe praeter ceteras constat nobiles Romanos, si qui ab oculis et fori et curiae abesse solebant, consumpsisse hiemem et propter amoenitatem et propter caelum mite. Cf. de Tarento insigne Horatii c. II 6 et quae Sen. de tranq. an. c. 2, 13 disserit de eiusdem urbis hieme imprimis leni. Hor. ep. 1, 7, 11 'molle Tarentum'. Quibus praemissis cum probabilitate haud parva conicere nobis videbimur pro 'auia' 'Daunia', praesertim cum v. superior eadem 'D'litera incipiens causam praebere potuerit, cur eadem litera v. consequenti intercideret; eo modo saepe mutilari versus nemo non concedet. Jam progrediamur ad eclogam eiusdem libri quartam. Rutilius Gallicus, de quo iam supra verba fecimus, vir ille si non generis nobilitate at certe quidem gratia, qua apud Domitianum imp. multum valebat, summae auctoritatis, quem segetem et materiem suae ipsius gloriae fuisse recte dixeris, cum anno aetatis sexagesimo primo (v. 53) ictu sanguinis apoplexique esset correptus (v. 57) viribusque cecidisset, Statium laudum suarum convalescens statim invenit praeconem. Initium carminis hoc est:

'Estis, io, superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus; videt alma pios Astraea Iovique
Conciliata cadit* dubitataque sidera cernit
Gallicus. et caelo diues* Germanice cordi
(Quis neget?): erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum!'

'Cadit' vocem, quae vox in v. 3 legitur, corruptam esse manifestum est. Desideratur verbum, quod ad Astraeae, quam eandem Iustitiam nominat aliis locis Statius, numen se applicet. Quod quale esse possit, praeter 'sedet' verbum invenio nullum. Sedendi verbum sollemne esse de iudicibus, cum tanta exemplorum ostendat copia, apertum est. Cum plurima possim, pauca attulisse satis habeo. Cf. Prop. 3, 19, 27. 'Minos sedet arbiter'. Cic. Brut. 43, 161 'Scaevola in rostris sedente'. Ac ne forte exemplum unum pulcherrimum transsiliat disputatio, cf. Cic. Cluent. 38 'sedissentne iudices in Q. Fabricium'. Sensus est igitur hic: Respicit adhuc Iustitia pios Iovique conciliata in tribunali sedet; nam Rutilius vitam recepit. Quod antea tentaveram pro 'cadit' 'colit', eius suspicionis perseverantiam non iam retineo, quamqam fere stare oportet in eo, quod iudicaveris, cum illi iudicio diffidere coeperim interdum. Sequitur v. 4, qui secundum codd. memoriam hic est: 'Et caelo diues Germanice cordi'. 'Et' in 'es' mutandum esse iam Domitius perspexit. In 'diues' lectione latet meo quidem iudicio 'divae's' sc. Astraeae, modo quam poeta nominavit; Domitius 'dis es' proposuit quae coniecturae paulum oppido inter se differunt. Baehrensius 'diue's' coniecit, quod repudiandum, quoniam nisi de defunctis imperatoribus non fere adhibebatur 'divus' vocabulum. Initium carminis igitur legendum sic:

'Estis, io, superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus, videt alma pios Astraea Iovique
Conciliata sedet dubitataque sidera cernit
Gallicus! Es caelo, divae's, Germanice, cordi' . . . .

V. 13 dici vix potest, quantum ingenia virorum doctorum vexaverit. Atque ipse ille Marklandus, vir unus acutissimus, non sibi potuit quin hoc adnotaret temperare: 'Latet aliquid, quod coniectura non possum assequi'. Legitur ibi sic:

'Ergo alacres, quae signa colunt urbana, cohortes . . . .
Certent laetitia, noseque* ex ordine collis
Confremat et sileant peioris murmura famae'.

Certent nunc, inquit poeta, quod Rutilius convaluit, cohortes praetorianae, resultent deinceps Romae colles, flareque iam desinant malorum rumorum venti. Bona iam utitur valetudine Rutilius, is qui omnes vigilias, curas, cogitationes in rei publicae salute defixit. V. 13 tantis est obductus tenebris, ut nisi emendatio quasi virgula divina, ut aiunt, nobis suppeditetur, non sane nanciscamur. Videamus, si placet, et sententiae et dicendi consuetudinis Statianae vestigia, quorsum ducant. Ac primum quidem 'collis' vocem singulari numero accipiendam esse cum verbum 'confremat' indicat tum locutionis Statianae consuetudine excusatur,

qui quamquam de pluribus veluti septem montibus loquitur, nonnunquam singulari numero 'montis' substantivo utitur. cf. 1, 1, 64 'septem per culmina montis'. 1, 1, 80 'tu tardum in foedera montem Longo Marte domas', ubi montes Daciae sunt intellegendi. De Romae collibus cum loquitur Statius aut septenum numerum addit velut 4, 1, 6. 4, 3, 26 aut 'Latio' utitur epitheto. Cf. 1, 2, 1 'Latii montes'. 1, 6, 100 'montes Latii'. 3, 4, 47 'Jam Latii montes'; quod adiectivum hoc quoque loco desideratur. Id quodammodo offert se ipsum ex praecedente voce 'laetitia'. Haec enim vox cum easdem fere exhibeat literas atque 'Latius', probabile tam quam quod maxime est, oculorum errore literas 'Lati' praecedente 'laetitia' voce absorptas esse ac residui nihil fuisse nisi 'usque' vel quod in codd. legitur corruptum 'noseque'. Eiusmodi literarum similitudine saepe in codd. totas voces absorberi, non solum qui ad artem criticam se applicarunt verum etiam si qui accuratius poetarum libros inspexerunt, perceptum habent. Cf. Ov. fast. 1, 287, ubi pro 'pacisque ministros', quod sensu caret, 'pacisque sequestrum' legi oportere in 'sque' literis duabus syllabis amissis, recte probavit Heinsius. Manil. 5, 184 exhibetur 'formidine mortis', quod eo loco absurdum est; id mutandum esse in 'formidine pinnae', ostendit Marklandus. Verg. A. 10, 702 de Mimante, ubi Bentleius pro 'Parim creat' elegantissime restituit 'Parim Paris'. Apud Martialem 12, 91 pro 'victima grata' sensu efflagitante scribendum esse 'victima magna' animadvertit Marklandus, etenim prior syllaba 'ma' praecedente 'victima' lectionis extrema syllaba intercidit. Similiter hoc, de quo disputamus, loco vox 'laetitia' 'Latius' lectionis literas fere easdem absorpsisse mihi videtur. Numerus singularis 'Latiusque ex ordine collis' eodem modo adhibitus ut in silv. 1, 1, 64 'septem per culmina montis'. Collis quisque deinceps confremat, inquit poeta. Persolvi librum I, venio ad secundum. In extrema fere carminis 7 parte v. 131 corruptela reperitur, quae mirum quantum virorum doctorum divinandi studia vexavit. Antecedentibus versibus, cum iam laudibus summis prosecutus esset Statius Lucani memoriam addidissetque Lucani statuam ad effigiem ipsius expressam, non falsa dei alicuius figura indutam solatia quaedam afferre, extremum carmen claudit sic:

'Procul hinc abite mortes*,
Haec vitae **genitalis** est origo'.

De quo emendando cum sit inter doctissimos summa dissensio, singula quaeque, si placet, consideremus. Ac primum quidem 'vitae genitalis' lectioni hic locum dari non posse, 'geniali' legendum esse, quod sensus efflagitet, iam veteres medii quod dicitur aevi viderunt interpretes, ut sensus sit: Hic vitae beatae est fons. Quam ob rem cum probabilitate haud parva in eam sententiam abibis in versu, de quo quaeritur, desiderari vocem, quae significet id, ex quo apta esse vita beata debeat. Proinde noli dubitare, cum Stoicorum id temporis longe lateque flueret disciplina, quorum sectam atque instituta secutum esse Lucanum constat, quam in animi perturbationum vacatione vitam ponebant beatam eam restituere voce 'motus'. Animi enim constantis est non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu deici, ut dicitur. Procul hinc abite animi perturbationes, inquit Statius, quod est fundamentum vitae beatae. Cedat igitur atrox luctus dolori miti festoque. Baehrensius 'moerae' vocem inculcavit, quae a lingua Latina tota est aliena. Alii alia tentaverunt sensus parum habita ratione veluti Heinsius, qui 'curae . . . . inertes' coniecit.

Accingamus nos iam ad libri III ecl. 1. emendandam. Codicem Vrat. prae ceteris qui supersunt summae esse auctoritatis multisque locis vestigia quidem indicare, quibus insistens verum possis indagare, ut exemplorum comprobatur multitudine ita interpretum plurimorum confirmatur consensu. Quamquam Baehrensius adeo non rationem habuit variarum codicis praestantis lectionum, ut ne adnotandum quidem existimaret, cum discrepantia mira subesset. Quam ob rem haud raro novissima Baehrensii editione spreta ad Passovii illam cod. Vrat. collationem diligentissime comparatam confugiendum videbatur. Inde a v. 52 legitur sic:

'Tempus erat, caeli cum torrentissimus axis
53. Incumbit* terris citusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros'.

Versu 53 ne verbo quidem monet Baehrensius cod. Vrat. pro 'incumbit' exhibere 'gracubit'. Atqui cum ceteris plus ponderis habeat multis locis cod. Vrat., cuius auctoritas si non lectiones genuinas at certe quidem genuinarum lectionum vestigia nonnunquam servaverit, ne hoc quidem loco neglegenda esse mihi videtur. Quod idem in hunc quoque locum cadere suspicor. Sine dubio in 'gracubit' 'procumbit' tecte latet verbum, quod Statianum puto. Sic enim et cod. Vrat. corruptelae origo aperitur et codd. interpolatorum ratio, in quibus sensus non literae respiciantur, ostenditur.

Summa caritate Statium poetam et Claudiam uxorem iunctos fuisse ostendit l. III. ecl. 5 Qua ecloga exhortatur Statius uxorem, ut secum Neapolim secedat. Inde a v. 62 praedicat poeta privignam ob corporis animique bona spemque imbibit certam fore ut haud magno temporis spatio nuptias conciliet contrahatque. Deinde pergit:

'Sed venient, plenis venient connubia taedis.
Sic certe formaeque bonis animique meretur;
64. Sive chelyn complexa petit* seu voce paterna
Discendum musis sonat' . . .

'Petit' corruptelam in v. 64 sibi visus est summovere Marklandus 'ferit' coniectura. At collato silv. 2,2, 114 'seu nostram quatit ille chelyn' etiam hoc loco 'chelyn quatit' Statium scripsisse probabile est, praesertim si literarum similitudinem spectes.

Sequitur ut de libro IV silvarum dicendum esse videatur. Ac primum quidem de ecloga I. videamus, quae est data ad Domitianum. Erat istis temporibus caecum aliquod ad servitutem humanum genus, cum lumina reipublicae clarissima iam essent exstincta. In caelum tollitur Domitianus, quod insigne odium omnium hominum tanquam specimen innocentiae et animi altitudinis, quod habuerit orbis terrarum, Statius celebrat. Fingit poeta Janum deum ipsum Domitiano gratulantem, quod denuo ipsius Jani mense consulatum inierit precaturque ut eodem honore in perpetuum Romanos dignetur. Deinde v. 23 pergit sic:

'Aspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, et ipsa meae tepeant tibi sidera brumae.
25. Moribus* atque* tuis gaudent turmaeque tribusque
Purpureique patres; lucemque a consule ducit
Omnis honos!

V. 25 videamus, ecquid hic locus dubii ostendat. Lectionem 'moribus atque' sensum praebere nullum cum ipsa sententia tum virorum doctorum una de re certum reddit mirus consensus. Neque enim aut cum praecedente sententia ullus intercedit connexus aut de vita et moribus Domitiani hic agitur. Age probabilia coniectura sequamur. Cum hoc loco nisi de consulatu non agatur, desiderari ornamentorum consularium notionem necesse est. Hoc in Domitiani summis laudibus fert poeta, quod consulatu illius omnes exsultent et plebs et senatus. Ex te consule, inquit, maior etiam ceteris magistratibus affunditur splendor, quo quidem caruit proh dolor! annus proximus. Qua sententiae condicione adducimur, ut pro 'Moribus' restituamus 'Lauribus' scil. fascibus laureatis. Imperatorum fasces laureatos fuisse cum multa docent exempla tum elucet ex Mart. 10, 10. Cassiod. II 2. VI, 1. Claudian. in Eutrop. II 520 sqq. Cf. Pauly Enc. R. III 425. 'Laurus' substantivum apud Statium frequens, quartam quae dicitur semper fere sequitur declinationem veluti 4, 3, 110. 118. 4, 4, 47 alia. Quibus apertis cetera patebunt omnia quaeque invenitur in eodem versu altera corruptela, eam ludibundus conficies. Pro 'atque', cui locus hic dari non potest, 'aeque' scribere cogit sensus. Consulatu tuo, inquit poeta, aeque gaudet misera plebecula atque senatus. Quo erat ingenii acumine Marklandus, sensit ille quidem unus post homines natos doctissimus, quid desideraretur, tamen non absolvit. Etenim quod proposuit 'fascibus ecce' id sensui quidem respondet, codd. vestigiis non respondet.

Altera eiusdem libri ecloga gratias agit Statius Domitiano, qui se cenae honore in imperatoris palatio dignatus sit. Domitiani imperatoris epulis honoratum vix sui se compotem fuisse dicit Statius. Saliarem in modum epulantem nisi in sacratissimum os imperatoris se oculos defixos non tenuisse, qui imperii statum sanctitate sua saepe servasset. V. 20 stupore abripitur poetae animus domus aureae et ambitu et altitudine. Versus sunt hi:

'Stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari laetantur sede locatum
Numina, ne magnum properes escendere caelum,
Tanta patet moles, effusaeque impetus* aulae
24. Liberior campi*, multumque amplexus aperti
Aetheros et tantum domino minor'.

Pro 'impetus' 'ambitus' esse legendum collato Theb. 6, 68 'ambitus aulae' iam ante Grasbergerum, quem id conicere memini, animadverteram. Pro 'campi' in v. 24 sine ulla dubitatione restituendum 'campo'. Comparat poeta ingentem aulae regiae ambitum cum campi spatio dicitque etiam in liberiorem maioremque magnitudinem campo aulam porrectam fuisse. Quo defendi possit, notus ille Graecismus 'liberior campi' nullum possit alium exhibere sensum quam 'liberior quod attinet campum'. Ex immensitate spatii potissimum aulam a poeta praedicari ut apertum est ita comparatio cum spatio campi aethereque aptissima. Quam ob rem Marklandus ruere nobis videtur, qui ut genitivi vices servaret 'spatii' coniecit. Quid opus est plura? Ne longus sim in re aperta, et comparatio necessaria est et ablativus casus.

V 1, 112 Priscilla ad genua Domitiani imp. provoluta gratias agit, quod coniugi Abascanto cura ab epistulis, qua numerosior erat nulla (v. 85) erat tradita. Verba sunt haec:

100. Vicisti gaudia curae
Ipsius effuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis*
Volveris.'

Pro 'merentis', quod verbum corruptelae speciem prae se fert, cum sensum non praebeat, sine dubio est legendum 'prementis'. Dominus tam magna premens secundum Statianum dicendi morem nihil aliud significat quam: Dominus tantus imperator. Premendi verbi notio, quamquam exempla sunt aliquam multa, optime elucebit ex III 3, 49 sqq., ubi legitur: 'Vice cuncta reguntur Alternisque premunt; propriis sub regibus omnis Terra; premit felix regum diademata Roma. Hanc ducibus frenare datum; mox crescit in illos Imperium superis'.

Ac ne illud quidem, quod paene praeterii, relinquendum videtur, quod verbo transigi potest in v. 56 sqq. lectionem 'proavi seu' mutandam esse in 'proavis ex', versum dico:

'Laudantur proavis ex pulchrae munere formae
Quae morum caruere bonis'.

Quae coniectura et vocis ad literam immutatae commendatur similitudine et sensus condicione. Quod Heinsius et Politianus coniecerunt 'aut' vel 'et', id est verba infercire, ut rimae expleantur, praeter quam quod ne sensui quidem omni ex parte sufficiunt. V 1, 186 cod. Vrat. summae fidei atque auctoritatis vestigia nobis indicare videtur, quibus insistens, rectam genuinamque poetae lectionem, quoad eius fieri potest, restituere possis. Ut causam quasi per transennam strictim agamus, verba sunt haec:

'Non in te fatis, non iam caelestibus ullis
Arbitrium, mecum ista fero; cum* limite coepto
Tende libens sacrumque latus geniumque potentem
Inrequietus ama'.

Consolatur Priscilla moritura coniugem dolore paene exanimatum exhortaturque, ut quam curam diligentiamque adhuc praestiterit Domitiano imperatori, eandem beneficiis obligatus ut servet in posterum.

Cum aetate, inquit, multo sim provectior, par est me decedere priorem. Nondum tibi impendebunt fata, quae me abripiunt. Quam debes imperatori gratiam, eam libenter repende. Cod. Vrat. quoniam exhibet lectionem 'cum', codd. interpolati 'tu', quae videtur coniectura orta esse lectio, e cod. Vrat. lectione tradita, cui maior est habenda fides, salus corruptelae est quaerenda. Sine dubio poeta pro 'cum' scripsit 'quin', idque cum coniectura probabile est tum etiam dicendi consuetudine commendatur; etenim vox 'quin' proprie in cohortando ponitur ut ab aliis ita a Cicerone veluti pro Milone 29 'quin sic attendite iudices!' Pompon. ap. Non. p. 154, 25 'quin bono animo es'. Qua de re cf. lex. Klotz. Sed haec hactenus, ne videar *περὶ μικρὰ σπουδάζειν*.

V. 205 dicit poeta Abascantum manum sibi illaturum fuisse, nisi imperatori tam fidelis esset. Quae sententia a poeta profertur sic:

205\. 'Ille etiam erecte* rupisset tempora vitae,
Ne tu tartareum chaos incomitata subires,
Sed prohibet mens fida ducis mirandaque* sacris
Imperiis et maior honor.'

Pro 'erecte' vel 'erepte' quod olim conieci 'coeptae', id quamquam substantivo 'vitae' convenire videtur, tamen non omni ex parte sufficit, id quod libere profiteor; etenim posteriores cogitationes, ut aiunt, solent sapientiores esse. Mihi quidem nunc iterum hos versus citius perlustranti, statim pro corruptela 'erecte' succurrit 'reliquae' sc. vitae, quae vox mihi legenti ultro oblata videtur aptissima. In reliquis res est controversa et plena dissensionis inter doctissimos. Corruptelae 'miranda', quae in v. 207 reperitur nisi sollemni Statianae dicendi consuetudine adhibita subveniri non poterit, quae vox sollemnis est 'haerenda'. Cf. 3, 3, 66, de Claudio Etrusco, qui erat a rationibus: 'semperque gradus prope numina, semper Caesareum coluisse latus sacrisque deorum Arcanis haerere datum'. Lectio 'ducis' est genuina firmaturque et arsis pondere et caesurae. Genetivus vel patricus casus, ut Varronis verbo utar, pendens a voce 'fidus' comprobatur exemplo ex Verg. Aen. l. XII 659 petito, de qua re disputavit Madvigius in Gr. Lat. Brunsvigae 1857 § 289 b. In v. 117 eiusdem eclogae lectio 'hic' fieri non potest, quin dubitationem iniciat, versum dico 'Nec tamen hic* mutata quies'. Sensus efflagitat 'hinc' sc. ex eo tempore, quo cura ab epistulis Abascanto erat mandata. Sed ne reduviam curare videamur, convertamus nos ad V 2. Quo carmine laudibus prosequitur poeta Vettium Crispinum Vettii Bolani filium. Qui cum eam laudis viam esse rectissimam duceret, quam maiores sibi tritam reliquissent, tribunus legionis indulgentia Domitiani factus (v. 177), cum aetas ipsius vix octonos bis solis amfractus reditusque convertisset, a poeta monetur, ut patris exempla, qualia nemo sit quin praestare possit, cuius res gestae atque virtutes eisdem quibus solis cursus regionibus ac terminis contineantur, sequatur. Qui si Caledonios intret campos, fore ut longaevus terrae incola de Vettii patre, Bolano praedicet haec:

'Hic suetus dare iura parens, hoc cespite turmas
Affari. vit(a)e* speculas castellaque longe
Aspicis? ille dedit cinxitque haec moenia fossa'.

Quae in v. 145 corruptela reperitur 'vitae', eandem nondum coniecturis Marklandi 'vigiles' aut Heinsii 'viden has', quae vix fidem facient videlicet, sublatam esse in promptu est, cum a codd. lectione tradita nimis recedant. Nisi omnia me fallunt, in corruptela ista ipsum Vettii, ad quem haec ecloga data est, latere videtur nomen scribendumque:

'Vetti speculas castellaque longe Aspicis?'

Longaevum istum Caledoniae incolam Vettii Bolani rerum gestarum memorem, ipsum filium Vettii nomine nominare quam maxime probabile est. Ceterum falso in editionibus Vectium nominari et patrem et filium certum reddit C. J. L. Vettius si toto pectore et omnibus ungulis, ut dicitur, incumbat in Caesaris mandata, in spem venit poeta fore ut ad patris gloriam et honorem aspirare possit. Ad consulis laudes a puero iam specta, inquit poeta. De eodem Vettio Crispino auguratur poeta v. 166 sqq.:

'Sed venies melior — uatum non irrita currunt
Omina — quique aquilas tibi nunc et castra recludit
Idem omnes perferre* gradus cingique superbis
Fascibus et patrias dabit insedisse curules'.

De lectionis 'perferre gradus' corruptela, cum sensu cassa sit, omnes uno ore consentiunt. Neque vero quod Heinsius 'perque ire gradus' aut quod Baehrensius 'superare' suspicati sunt, artis criticae verisimilitudine commendatur. Ut sensus perspicuus, ita lenissima emendatione aperiendus. Sine ulla dubitatione restituendum: 'Idem omnes proferre gradus' scil. dabit. Velificabitur, inquit poeta, Domitianus honoribus tuis, qui ad omnia summa natus sis. Cuius iudicio si discesseris probatus, dabit tibi, ut omnes, qui ad honores ferunt, gradus proferas et ita ad omnes provehare honores, quos amplexus est pater. De gradus proferendi elocutione, cum propria sit ac fere sollemnis dicendi ratio, non est cur exempla congeram.